

*De sancto Sudario
Ad missam. Inuentus.*

Respice domine de excelso in faciem christi tui sancto velatum sudario et non recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum. qui tibi obediens factus est usque ad mortem. *P.* Signatum est super nos lumen vultus tui domine dedisti leticiam in corde meo. *Gloria patri. Oratio.*
Omnipotens sempiternus deus qui in memoriam passionis virginis filii tui sanctam eius sintonem cum expressa ipsius effigie venerandam reliquisti in terris. tribue nobis quesumus. ut per virtutem eiusdem sancte sintonis faciem tuam contemplari mereamur in celis. Per eundem dominum. . .

*† Collectas dicendas
in festo Inventionis
sanctae reperies in
ultimo folio.*

Actio libri genesis.

In diebus illis. Tulcrunt tunicam ioseph fratres eius et in sanguine hedi quem occiderant tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem et dicerent. Hanc inuenimus: vide utrum tunica filii tui sit aut non. Quam cum cognouisset pater ait. Tunica filii mei est. Hec pessima comedit eum. Vltima deuorauit ioseph. Scissisq; vestibus indutus est cilicio: lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius ut lenirent dolorem patris noluit consolatio nem accipere. Sed ait. Descendam ad filium meum lugens in infernum. *Responsorium.*
Mulier sapiens sintonem fecit et vendidit. quam ioseph ab arimathia mercatus est. *V.* Venit nicodemus cum